

Q V

Quadrata corporis statura dicitur eruditis, quæ neq; longa, neq; brevis sit, sed in medietate posita. Vespasianus imperator fuisse fertur statura quadrata. Quadratum Canem probat Columella, melioremq; ait esse quam longum, aut breuem. Columella libro septimo, capite secundo.

Quadrantal forma, id est, quadrangularis, tetragona.

Quadrifidas ridicas. Tanta est crassitudo et robur taleæ, ut scindi possit in quatuor partes, & quaterna pedamenta, siue statumina, siue adminicula: quæ & Ridicæ uocantur. Cõsimiliter inquit poeta. Quadrifidasq; fides. Columella libro. 4. cap. 33.

Qualitates humorũ sunt, austeritas, amaritudo, acerbitas, graueolentia, falsedo, glaucedo, sic enim uult Mnesitheus in lib. qui *παραλογισκόν* medicinæ dicitur. Cõprehendit aut & qualis est: & in uniuersum affectus, ægrotationes, siue morbos uniuscuiusq; partis, aut membri.

Q V E

Quercus. De Querci generib. scilicet Platiphyllo, Haliphloco, Hemeride, Aesculo, Cerro, Fago, lege Barbari Corollaria in Quercum, Glandem, & Fagum apud Dioscoridem lib. 1. Item Plinium libro. 15. 23. 4. 5. 6. 7. & rursus capite. 6. 7. & Theophrastum libro. 3. capite. 9.

Quercus ex quibus principijs consistat, require ex Vitruuij lib. 2. cap. 11.

Querquedula, et phalerides, aquaticæ aues.

Q V I

Quincuncialis herba dicitur, aut triennialis, a mensura, id est, quæ folio quincuncem, aut trientem æquet amplitudine. Item, Quincuncialis ordinum ratio in disponendis arboribus & uineis, maxime laudata est: utpote quæ non solũ per statum utilis sit, uerum et aspectu grata quocunq; intueri, in ordinẽ se porrigente uersu. M. Tullius. Cum autem admiraretur Lysander & proceritates arborũ, et directos in quincuncem ordines. Quintilianus. Quid illo quicunq; speciosius, qui in quacumq; partem spectaueris, rectus est: sed protinus id quoq; prodest, ut terræ succum æqualiter trahat. Columella lib. 3. cap. 13.

Quinquatria, sunt ferie quinq; dierum, dicata Mineræ: quæ mense martio celebrantur. Quidam autumant Quinquatrum unũ

R A

tantum diem festum esse: ex eoq; dictum, quod post diem quintum Iduum celebraretur: sicut sextatrus dictus, quod post diem sextum idus celebratur: & septimatrus, post diem septimum. De Quinquatribus Ouidius in Fastis copiose perscribit. Meminit & Horatius illo uersu. Ac putas puer ut festis quinquatribus olim. Columella libro. 11. cap. 2.

Quinq;folium, Pentaphyllum aquod Dioscoridem libro. 4. cap. 45.

Quinta essentia, est corpus tenuissimũ, quasi non corpus, & quasi iam anima: itẽ quasi non anima, & quasi iam corpus. In eius uirtute minimum est nature terrene, plus autem aqueæ: plus item aeræ, rursus igneæ, stellarisq; quã plurimũ. Vide Marfilium Ficinum libro de uita celitus comparanda libro. 3. cap. 3.

Quisquiliũ Plinio uermiculus, id est, ipsum cocci granum dicitur.

Quisquiliæ, ut ait Festus, quicquid ex arboribus minutis surculorũ, foliorũq; decidit.

R A C

RAcemus, ein uueindraub, oder kamp des uueindraubens.

Racosis, multa scroti extensio.

Racemaria, Cadmiæ species apud Dioscoridem libro. 5. cap. 75.

R A D

Radula, Instrumẽtum est a radendo dictũ, quo utebantur in radẽda, ducendaq; pice doliorũ: unde & nomen. Hinc docuimus apud Plinium, Radulanam appellari pice, propterea, quod radula raderetur ex dolio, ducereturq;. Quamuis uiri alioquin eruditi radulanam legẽdum esse contendant. Verba Plinij ex lib. quartodecimo hæc sunt. Italiæ in parte aliqua radulana pice ac resina condire musta uulgare est, prouincijsq; finitimis. Col. lib. 12. cap. 18.

Radix est id, quo alimentum plantæ, uel arbori attrahitur. Theophr. libro. 1. capite. 2.

Radix iunci, id est, Cipros. Vide Dioscoridem libro primo.

Radix Pontica, Glycyrrhiza, Liquiricia. Dioscorides libro. 3. capite. 6.

Radix pontica, Rhapsodicum apud Cornelium Celsum.

Radix syluestris, apud Dioscoridem libro quarto, capite. 187.

Radix, os minus brachij.

R A

Radiolus, id est, Serpilla, quò utuntur uul-
nerarij. Est in translatione Barbari, apud Di-
oscoridem lib. 1. cap. 105.

R A I

Raia, piscis nomen, Plin. lib. 4. cap. 24.

R A M

Ramex, morbus est, de quo Celsus, Plini-
us, Plautus, omnes. Vnde Ramicosi, in-
fantes dicti, Colum. lib. 9. cap. 1. Vergilius
interpretatus est εντεροκλήλας, quique de-
scendentibus in inguina, aut scrotum inte-
stinis, fiūt, quoties disrupto, aut rarefacto,
quod Græci Peritonium dicunt, intestina
dilabuntur. Quod quale sit, Pollux secun-
do descripsit, membranam quæ aluum, in-
testina, omnemq; a transuerso septo, usq;
ad perniciem complectitur.

Ramex uentosus. Vide in πνευματοκλήλη.

Ramnus, non est Rubus, ut falso existima-
uit Auicenna. De quo uide Manardum li-
bro. 9. cap. 3. sed est Spina ceruina.

Ramenta, ueteres dixerunt omnia, quæ ro-
dendo, secando, incidendo ex materia ali-
qua, quasi inutiles reliquæ supersunt. Sco-
bem uero priuatim, quæ lima, aut ferro de-
teita cadunt, græce ρήνισματα utroq; no-
mine uocantur eboris quisquiliæ: quas Ru-
ellius Scobes, Vergilius Ramenta inter-
pretatus est.

Ramich, mixtura solida quarundam rerum
aromaticarum, & pro magna parte stipti-
carum. Vfus eius est in emplastro de Gal-
lia, descriptione Mesue. Ingreditur & tro-
chiscos de terra sigillata.

R A N

Ranam Græci & fluuiatilem, & marinam
prædicant, etiamnum pro pisce βάρραχου.

Ranæ, piscis nomen, Plin. lib. 9. cap. 24.

Ranæ paruæ scandentes arbores, Lege,
Calamites.

Ranæ palustres, Ibidem.

Ranæ Tolmatigæ, Ibidem.

Rana Lurida, Ibidem.

Ranæ Lymnææ, Ibidem.

Rana Rubeta quæ sit, & eius ueneni cura-
tionē, require apud Aecium sermone. 13.
capite. 36.

Ranunculum, aliqui syluestre Apium ap-
pellant. Complura eius genera: de quibus
uide Dioscoridem lib. 2. cap. 194. Plinium
lib. 27. cap. 12.

Ranunculus quantum differat ab Coronò

R A

pode, & Pede ceruino, uide in Corollario
Barbari de Ranunculo.

R A P

Rapa syluestris longior, in speciemq; Ra-
phani, caule breui, semine intus candido,
duplo maiore quàm Papaueris. Hæc in Dal-
matia frequens nasci Possidonius scripsit.
Rapa fatiua, duorum generū, ut inquit Dio-
scorides libro. 2. fatium alterum, agreste
alterum.

Rapistrum, diminutiuum a Rapo.

Rapistrū uidetur Columella posuisse pro
Rapo: quod & Rapetium, & Rapinam
appellant, Columella lib. 9. cap. 4.

Rapnonion, Limonion, Diosc. lib. 4. ca. 19.

Rapium, Artemisia, apud Dioscoridem li-
bro. 3. cap. 125.

Rapum terræ, Cyclaminum.

R A R

Rarum accipimus, quod meatus (quos Gre-
ci πόρως uocāt) magnos per totū obtinet.

R A S

Rasis, & ipse Arabs, cunctorum ante se scri-
ptorum commentarios ingenti uolumine
coegit, quod Medici, Continens uocant.

Rasura eboris, Vide, ελεφαντ

R A T

Rationibus bonis ac malis. Ad hunc intel-
lectum uidetur referri posse illud Plinia-
num: Quonam modo utilissime coluntur
agri? ex oraculo scilicet malis, & bonis.
Verum atau malorum nomine intellige-
re uoluere uilissimos, summum enim pro-
uidentiæ illorum fuit, ut quam minimum
esset impendij. Colum. lib. 4. cap. 3.

Ratiocinium dicitur supputatio, compiū,
calculatio. Ratiocinator, calculator. Apd
Plautū ait Trapezita: Beatus uideor, sub-
dixi Ratiunculam. Expeditissimum ratio-
cinium, intellige supputationem facilem,
& explicatam. Colum. lib. 5. cap. 1.

R A V

Rauculæ, nomen apud Ioannem Anglicū
legitur, significatq; ei tumorem cum dolo-
re & pulsu, uulneribus contingentem: qui
certe nihil aliud esse potest, quàm phlegmo-
ne inchoans.

Raui coloris appellantur, qui sunt inter fla-
uos & cæsios. Lege. Flauus.

Rauus color est subniger, ex nigro & fuluo
commixtus. M. Varro consimiliter præci-
pit, Gallos eligi oportere, oculis rauris, aut

R E

nigris. Ab Horatio lupa rava dicitur, ob colorem. Festus Pompeius scribit, Rauicolaris eos appellari, qui sunt inter flauos & caesios: quos Plautus appellat Rauistellos. Quis, inquit, Rauistellus qui uenit? Atqui in Plauti Epidico, non omnes legunt Rauistellus, imo plures grauastellus. Est autem Grauastellus senior, a grauitate dictus. Quam lectionem nos probamus: & probat idem ipse Festus Pompeius, in dictione, Grauastellus, Columella libro. 7. capite secundo:

R E C

Recrementum aeris & metallorum, teuto. Schlacken.

Recrementum ferri, ferri scoria, & stercus, apud Dioscor. lib. 5. cap. 86.

Rectum intestinum. Vide, Cecum intestinum.

Recurrentis pulsus. Lege, Pulsuum differ.

Recurrentes nerui qui uocentur, lege in dictione, Nerui uocales.

Recutiti uocantur, quorum praeputium aliquid deest, ut glandem tegere non possit: quo modo Iudaeos circumcisos Recutitos uocamus. Quomodo curari debeant, docet Paulus lib. 5. cap. 53.

R E D

Rediuria, est morbus, cum circa unguem cutis resoluitur, non sine dolore patientis. Dicta sic, a rediuiendo: ueteres enim rediui re pro resolvere accipiebant. Hec & neutro genere Rediuium appellatur.

Redundago, Cisalpinus, id quod nos latine uocamus utriculum. Lege, Vtriculum.

R E G

Regelatur, a gelu resoluitur, & calescit. Martialis: Regelare, nec te pestilentia possit. Seneca de ipso loquens, ait: Vix media regelatur aestate. Columella libro secundo, capite. 16.

Regia herba, Eupatorium, apud Dioscor. lib. 4. cap. 42.

Regia, Plinius, Praesertim cum magnitudine copiam olei non constare indicio sint, quae Regiae uocantur, ab alijs Maiorinae, & ab alijs Phauliae, grandissima alioquin, minimo succo. Hoc idem monstrat Columella eodem capite. Colum. lib. 6. cap. 6.

Regiae nuces, id est, Iuglandes.

Regula Polycleti nusquam non est apud Galenum: perinde dictum, ut suspicor, idque pro uerbialiter, quasi adamussim, ad perpendi-

R E

culumque, a Polycleto Sycionio statuario, nobili in primis & excellenti, qui aeneae statue autor fuit: quam adeo ad unguem perpoliuit, atque absoluit, ut artifices reliqui, id simulachri canonem palam appellarent, linamenta artis ex ea petentes. Autor Plinius lib. 34. Meminit eius pro uerbij Galenus de arte libro his uerbis: Crisis, id est, constitutio ea est, ut regula Polycleti. Item libro de optima constitutione corporis: Corpus bene compositum tale est, qualis Polycleti regula existere dicebatur. Item de sanitate tuenda: Sermo qui nunc proponitur, ueluti Polycleti regula est, &c. Item primo Complexionum: laudat regulam Polycleti. Unde uiciose in ueteribus exemplaribus legitur, Polycretus. Errant praeterea, qui Medicum quendam fuisse existimant, clari in primis nominis, ad cuius praescriptum sua exegerit Galenus Medicus, quo nescio an quid dici queat etiam ridiculosius.

Regmochasmus, sanguinis reiectio ex ruptura aliqua.

R E I

Reiectio sanguinis, graece dicitur *αιματὸ ἀναγωγὴν*, trium generum. Diabrosis, quoties exesa parte aliqua, sanguis exspuitur, Rhegmochasmos, quoties rupta, id contingit. Tertium Anascomasis, quoties uenarum alicuius ore patefacto effunditur.

Reiiculae oues, quae aetate, uel morbo graues, reijciuntur.

R E M

Remedium, est auxiliorum medicinalium compositio. Vel sic: Est tempus & occasio recte operationis, & temporis obseruatio, in quo opitulamur laborantibus.

Remedia calorifica, atque exiccantia, calida, aridaque medicamenta.

Remeligo. Lege, *ἐχίνος θαλάσσιος*.

Reminiscencia, est intellectus repetitus.

Remissio morbi, cum desinit.

Remora. Lege, *ἐχίνος θαλάσσιος*.

R E N

Renes carnosissimi, & ex tenuiore quadam carne, siue quod isthmi, siue ligulae instar angustae, humida excrementa continentes, uelut quaedam lacunae.

R E P

Repastinabis, Refodies. Verbum dictum a pastino, quod est ferramentum bifurcum,

R E

quo semina panguntur. Vnde etiam Repastinatę dicte sunt uinee, quę refodiebantur. Consuetudo repastinare uocat, quicquid emoti terreni uinetis preparatur. Columella lib. de Arb. cap. 1.

Repubescere, in pristinam pubertatem, iuuentutisq; florem reuerti. Consimile est, Repuerascere, & Reuirefcere. Columel. libro. 2. cap. 1.

Repullescentem, resurgentem, subnascentem, & nouellis pullulis, palmitibusq; exilientem. Columella lib. 4. cap. 24.

Repunculus, Lege, Pes locustę.

R E Q

Requies, Electuariũ apud Nicolaum, narcoticum.

R E R

Rerum naturalium generosa sunt, elementa, animalia, uegetabilia, mineralia, mixta, imperfecta.

R E S

Res naturalis, quę constat ex naturis. Item, Res naturalis, totum compositum, corpus sensibile, idem, & hoc aliquid.

Res naturales uocantur, quę ad humani corporis integritatem, perfectionemq; atque naturam concurrunt. Item,

Res naturales uocantur a Medicis Elementa, Temperamenta, Humores, Membra, Virtutes, Operationes, Spiritus.

Res non naturales, quę corpus lædunt, atque destruunt, si perperam adhibeantur.

Res contra naturam, quę humani corporis naturę repugnant.

Resecem submitti. Pampinum resecem uocat, qui resectus, recisusq; melius prouenit, sitq; fructuosior. A resecendo Resecem deriuamus. Submittere autem, est educare, alereq; ad incrementum: quod uerbum est apud Columellã in hoc significato frequentissimum. Colum. lib. 3. cap. 10.

Resina quomodo fiat, uide apud Theophr. libro. 9. capite. 2.

Resina Laricę, qua hodie utuntur pro Termentina.

Resina terebinthina, id est, gummi terebinthi arboris, gręce *τερεβινθ* dicta.

Resina Terebinthina, quam & Termentinam, a fide dignis scriptoribus probatũ est dici, & nos obiter attigimus in Herbarij nostri tomo secundo.

Resolutio, uel paralysis oculi uocatur, ubi

R E

oculus nequaquam intendi potest, nec omnino consistit: sed huc atq; illuc sine deliberatione mouetur.

Resolutio neruorum, differt ab apoplexiã: quia in apoplexiã omnes pariter nerui tũ sentiendi, tum mouendi uim amiserunt.

Vbi uero alteri laterum, aut dextro, uel sinistro id accidit, resolutio nominatur, eius scilicet partis, in qua consistit affectus: interdum dextrę, interdum sinistra. Plura uide apud Galenum de locis affectis libro quarto, capite. 10.

Respiratio, est attractio aeris per nares, ex cerebro inde per fauces, & in pulmonem, & in ipsum cor. Accidit autem aliquid ad uentrem, idq; ex corde susceptum, & comprehensum, modicum quidem sit reciprocatio ad id quod circundabat. Item,

Respiratio est motus thoracis et pulmonis. Species autem, siue partes huius sunt, inspiratio, & exspiratio.

Restibilis seges est, quę regerminat, quasi cuius fecunditas in sequentem quoq; annum restitat. Gręci Paliniblaston uocant, autor Theophrastus.

Restibile occandum erit. Inter restibilem agrum, & noualem hoc interest: Restibilis dicitur, qui nunquam interquiescit, sed restituitur, & feritur quotannis, ut quotannis reddat fructum. Noualis uero est, qui intermittitur, & alternis annis feritur; a nouando dictus.

Restibilem fecunditatem dixit Plinius, intelligi uolens eam, quę intermissa restituitur in fecundis, quę parere desierunt. M. Varro, In Olynthia quotannis restibilis esse dicunt. Colum. lib. 2. cap. 10.

R E T

Reteri, repoliri, uentilari. Columella libro 2. capite. 2.

Retorrída, quasi exusta, & amissis uiribus, intempestiuiterq; senescens. Seneca Mutij manum retorrídã appellat, quam ille, ut notissimum est, iniectatis flammis torre re non dubitauit. In arboribus ea dicuntur retorrída, quę non adolefcunt, quę quasi torrída occalescunt: quę scabra sunt, fructumq; non ferunt. Aulus Gellius homines Retorrídos scite dixit, & eleganter. Retorrescere dicuntur uites, quando non profiliunt, neq; adolefcunt legitimo incremento. Colum. lib. de Arborib. cap. 17.

R H A

Retrimenta, sic dicta sunt a reterēdo. Quamquam Plinius Recrementa etiam uocat. Teut. die grundheffen.

Retrimenta, excrementa, uentris saburra, superfluitates, idem.

R H A

Rhabarbarum. Si de Rhabarbaro nostram pronunciare sententiā debeamus, nō credent nobis Myropolę, etiam si Galeni eloquentia polleremus. Ut sentiant tamen se nō recte estimare de ea radice, doctissimorum Medicorum nostri seculi sententias iuxta posuimus. Ex quib. primus est Marnardus Ferrariēn. Scribit ille in hęc uerba. Quod uulgus Medicorum, & Officinę omnes nunc Rheum barbarum uocant, & Punici Rauedfeni, hoc Celsus Radicem ponticam, Diosc. Rha, & iuxta quosdam Rheon, secundum alios Rhian, Plinius Rhecoma, Galen. quemadmodum Dioscorides interdum Rheon, interdum Rhian, aliquando Rheon ponticum appellat. Eo antiqui ad uentris purgationē non utebantur, sed antidotis miscebant, & ad plerosq; usus alios adhibebant, quos operæ precium non est hoc loco referre, quando ex Plinio, Dioscoride, cæterisq; facile disci possunt. Primus (quod meminerim) Auerrois Cordubensis Galenū, cæterosq; Medicos taxans, qui constringere eum putarunt, nedum subductiuum uentris: sed inter cætera purgantia medicamina esse scripsit præcellentissimum; quem secutus Ioannes Damascenus cognomento Mesue, ubi medica pharmaca solutoria, quę Benedicta uocat, recenset, seriosam & honorificam illius mentionem facit. Cui hac in re, sicuti & in reliquis recentiores Medici credentes, tantū illud fecerūt, ut aliquando auriprecium æquarit, neq; ad alios fere usus nostro æuo accommodant, quam uel ad bilis euacuationē, uel ad intestinorum difficultates, uel ad eos qui de sublimi aliquo loco ceciderunt. Non prætereundum tamen silentio, posse cuiusdam uideri, Serapionem iuniorem solutoria ui illum præditū existimasse, quum suo de Simplicibus medicamentis libro scribat, dari in omnibus, in quibus datur Agaricum. Verum cum uerba illa non ex propria, sed ex Dioscoridis sententia proferat, nec sit (quod plerumque peccat) satis fidus interpres, audiamus

R H A

ipsum Dioscoridem sua uerba personantem: uidebimusq; id nō ex Dioscoridis, aut Serapionis opinione, sed potius de peruersa uerborum Dioscoridis, uel lectione, uel intellectu, uel interpretatiōe prodixisse. At siquidē ipse Dioscorides: Modus pariformiter Agarico ad unumquemq; affectū eodem drachmę pondere. Quod si quis cōtendat Dioscoridem his uerbis sensisse, omnibus uirib. pollere Rheon quib. Agaricum, is & Galenū incuriā, & Auerroin crimine falsi accuset necesse est. Illum quidem, quoniam ex Dioscoride nō didicerit Rheon sicut Agaricon inter cathartica reponendum: hunc, quod talem ignorantia perperam antiquitati impegerit, & se quasi nouum tam nobilis medicamenti inuentorem iactanter & falso prædicet. Magis autem mouet me Paulus, qui libro primo suæ Medicinæ, cum dixisset, Resinam Terebinthinam oliuę magnitudine uentrem ciere, subdit: magis autem subducere uolentes parum quid Rhu admiscemus. Est autē Rhus (uulgo Sumac dicunt) Diosc. Galen. cæteris, experientiaq; ipsa testante, medicamen uehementer uentris adstrictiuum: quo fit, ut suspicer librarij culpa deesse, e, literā illi dictioni, legendūq; Rheu, non Rhu. Verum hęc ambigendo potius q̄ decernendo dicta sint, nondum em̄ uideri potui, quæ scribuntur a Paulo proprio capite de Rheo: quāuis legerim apud Medicum non magnæ autoritatis, ex sententiā Pauli, quod mundificat. Quicquid tamen sit, non est ambigendum, eam prærogatiuam non habuisse apud antiquos inter cathartica, quam nunc habet. Quæ res non mouere nos debet, ut minus illud hac in re faciamus. Quandoquidem neq; myrobala nos inter solutoria medicamina, & senam, & mannam, & siliquam Indam, quam uulgo casiam uocant, ex purgantibus nūc præstantissima, habuerunt: item moschū, camphoram, sandalos, ambrā, nobilissima quidem & efficacissima medicamina penitus ignorarūt, aliaq; permulta nostro æuo explorata, & supreme celebrata. Antiquos cum dico, Galenum, & eo uetustiores intelligo: qui non propterea tamen accusandi sunt, siquidem nec omnia cognoscere, nec eorum quæ cognoscebant, omnes etiā uires scire potuerūt. Nec enim falso (quod

Auerrois innuere uidetur) Rheo adstrictoria uim attribuerunt, ipsum namque sicuti pleraque alia, utraque uim pollere dicimus, adstrictoria uidelicet, et purgatoria. Ex Ioā. Mesue et Auerrois igitur, ac recentiorum omnium autoritate, ipsaque experientia didicimus, Rheubarbarum inter medicinas bilem, pituitamque expurgantes, esse pereximium, adeoque ab his nocuentis quae secum reliqua cathartica afferre consueuerunt, immunem, ut pueris, pregnantibus, caeterisque imbecillioribus tuto exhibeatur. Esse autem iecinori congruentissimum; non solum huius, sed & Plinius, & Dioscorides, Galenusque contestantur. Quod uero particulatim bilem a capite educat, non legi penes idoneum autorem, Plinius tantum tradit contra capitis grauitates affirmat: quas tamen ut in pluribus, non de bile naturali, & impermixta, sed de alijs potius humoribus pendere apertum est. siquidem bilis ipsa aliorum humorum comparatione suapte natura leuis est. Dioscorides febricitantibus cum melicrato, in febricitantibus cum cœnomelite, pthysicis cum passo, stomachicis in catapotijs exhibet. Plinius pro uarietate morborum modo in uino, modo in aqua, modo in passo. Communis usus Medicorum habet, ut uel formetur in catapotia, uel cum aquis Arnoglossi in intestinorum difficultate, uel deuolutis, Apij, aut intybi in febribus bibatur. Nos pro morborum uarietate, patientis temperatura, consuetudine, aetate, atque id genus caeteris, modo huic, modo illi rei miscemus, prout tamen conducere arbitramur, ut nihil perpetuum habentes, ita a maiorum uestigijs ratione, ac experimento non discedentes.

Rhabarbarum, ante Paulum Aeginetam fere Medicis incognitum.

Rhacoma, apud Plinium forte id, quod Dioscorides uocat Rhabarbarum; modo non deprauatus sit codex.

Rhachis, spina ipsa dorfi.

ῥαγάδες, id est, rimae, malum quod non in una tantum corporis nostri parte sentitur, uerum in mulierum naturalibus, & utriusque sexus sede, labris, digitis, & pedibus fit; licetque id pro coperto habere, quacumque corporis parte in duo labra, pluraue dehiscit cutis, Graeci ῥαγάδες, a frangendo, Latini rimas uocant. Ut plurimum tamen in se-

de fiunt. Differunt a Condylomatibus: quod Condylomata sunt excrescentiae, quae in extrema ani corona, & qua parte se comprimit cum inflammatione insurgunt. Appellaueruntque Condylomata id malum Graeci, quod ut contracta in pugnam manu digitorum articuli, quos ea gens condylos uocat, insurgunt & eminent. Sic durat in callum sedis, & in foeminis naturalium rimae a reliqua superficie insurgunt.

ῥαγάδες, & Mariscæ, ulcera & rimae, quae infestant cute circumcisa. Hos morbos lasciuia, luxuriae procacitas, & estuans libido facit, non sine naturae, & maiestatis diuinae iniuria, & utriusque Lege calcata uitiorum inuentrix libido, quae neglecta natura diuerticula quaeritat. Prouenit & in mulieribus pudendis, & labris, et pedum digitis: Rhagion, araneus uocatus, quod acino uirgine nigrae similis est, ore minimo, sub aluum, pedibus curtissimis, & tanquam inchoatis,

ῥαγάματα, rupta.

ῥαγνύω, id est, rumpo.

Rhamnum, alij Persephonion uocant, alij λευκὴ κωνία, Romani Spinam aibā, ut inquit Dioscorides libro primo. Vocant & Cerualem, Aphri Aiadim; frutificat in sepiibus, ramos ferens rectos, & aculeos in acutae spinae modum, folijs paruis, oblongis, subpinguibus, teneris. Alterum ei genus candidius. Tertium nigrioribus, latioribusque folijs constat, & quadamtenus rubentibus: cuius rami quinque cubitorum longitudinem implent, infirmioribus horrentes spinis, innocentioribusque; fructum edit candidum, tenuem, ueluti folliculum, hastulae regiae similem. In duo genera diuiditur, nigrum, & candidum. Verique fructus parentum colore. Nigrum folliculos fert: syluestreque habetur. Huius radice decocta in aqua fit medicamentum quod Licium uocatur. Sic omnia fere Theophrastus ex Plinio & Theoph. colligit. Phocion etiam, inquit, a quibusdam Agnon, a uirtutis similitudine uocatam scribit, quod Venerem coerceat ut uitex. Dioscorides quoque spinam uocat cerualem, non uidetur abluere ab ea herba, quae hodie a nobis uocatur Spina ceruina, fructu Myrti, foris nigro, intus uiridi, ob id uel ad colorem eum pingentibus idoneo. Cortex arbori subniger, & nitidior quasi Ceraso, intus uirens,

R H A

post luteus: lignū extra candidum, interi-
or medulla rubet. Plura lege apud Dio-
scoridem libro. 1. Plinium libr. 24. cap. 14.
Theophr. lib. 3. cap. 17.

ῥαντηγες, oculorum anguli qui naribus ad-
iacent. Dicti & πηγαι, uelut lachrymarū
fontes quidam. Canthos domesticos Me-
dici uocant, sicut angulos in tempora uer-
gentes syluestres.

Rhaon, Rhabarbarum ipsi Aecio.

ῥαφανέλαιο, oleum de Raphano.

ῥαφανίς, olim Cramben, id est, Brassicam si-
gnificabant, autore Aristotele & Catone.
Nunc pro Radicula sola usurpatur.

ῥαφανίς, Raphanus, Radicula.

ῥαφανίς λευκή, Armoracia, uel syluestris
Rhapbanus.

Rhapbanus, Latine Radix.

Raphanus Liothasia, id est, Beotica, Rapha-
ni genus, quod & Thraciam uocant, pati-
entissimum hyemis.

Rhapbanus Cleonea, genus Rhaphani qd̄
in longitudinem porrigitur.

Rhapbanus Corinthia, amplissima, quę de-
fecta stirpe nascitur.

Rhapbanus syluestris. Hanc Romani, ut
inquit Dioscorides Armoraciam uocant:
alii montanum Raphanum: alij Apriū: alij
Istada: alij Chamēbalanum. Romani eius
radicem syluestrem, ramulos tenues, iun-
ceos duos, siue tres spargit, rubentes, folijs
rutę syluestris, oblongioribus, & angusti-
oribus, semine paruo, radice albuca, rotun-
diore, turbinaciore, pyrī figura, candido
cortice. Ea lacteo succo madet. Hęc Dio-
scorides lib. 2. cap. 123.

ῥάφαι, futurę ex quibus consistit caput.

ῥαφίς, caluę pars serrata.

Rhapontica, Hyoscyamus, apud Dioscor.
lib. 4. cap. 72.

Rhaponticum prouenit in his, quę supra
Bosphorum sunt regionibus, ex quibus af-
fertur: radix nigra, Centaureo magno si-
milis. Dioscor. lib. 3. cap. 2.

R H E

Rhœa, Papauer Erraticum, apud Dioscor.
lib. 4. cap. 67.

Rhœas, Lege, Palpebrarum uitia.

ῥαίβοι. Vide, Varipedes.

Rhæbi, quibus crura sunt introrsum, & ob-
torta: Bleffi uero, quibus extrorsum. Au-
tor Pollux. Vide, Varipedes.

R H E

ῥηχέντα, sponte sua scilicet, & per se a conti-
nuitate sua discedentia.

ῥήκται, effractores uenti dicti sunt, qui in
terremotibus facta eruptione, etiam hia-
tus faciunt.

Rhegma, ruptio: pertinet & ipsa ad conti-
nuitatis solutionem.

ῥήγματα, rupturę. Vel,

ῥήγματία, intus ruptura, uel dissectio. ἀπὸ
ῥήγνυμι ἢ ῥήγνυω, id est, rumpo.

Rhegmochasmus. Vide, Reiectio sanguis.

Rhem sutorium: sic in quibusdam Colu-
mellę editionibus legitur, pro Rhus su-
torium.

ῥητίνη πιτυίνη, Resina picea.

ῥητίνη θερμίνθη, uel θερμίνθη, Resina tere-
binthina.

ῥητίνη σχινίνη, lentisci resina.

ῥητίνη ἐλατίνη, resina abiegna.

ῥητίνη πευκίνη, resina picina.

ῥητίνη σροβιλίνη, resina strobilina.

ῥητινώδες, resinofum.

Rheu, idem illud, quod Rhaponticū. Bar-
barus in Corollario.

Rheum, Rhaponticum. Dioscorides libro
3. capite. 2.

ῥεῦμα, fluxus, ab ῥέω, fluo. Lege, Oculorum
morbi.

Rheumata sunt quędam destillationes hu-
miditatum, & superfluitatum cerebri.

ῥεύματα ὀφθαλμῶν, fluores oculorum.

ῥευματισμός τῶν ὀνύων, fluctio gingiuarū.

ῥευματισμός κιοήιδι, fluctio uuæ.

ῥευματισμός, fluxus mali & superflui alicu-
ius humoris.

ῥήξις, exulceratio in cornea tunica oculi,
quę ex ictu, aut inflammatione immodica
contracta est.

R H I

Rhia, Rhaponticum. Dioscorides libro ter-
tio, capite secundo.

ῥίγος, ubi una cum frigore fit etiam tremor.

Et eo laborantes, ῥιγδνται. Tertianis pe-
culiare. Fit autem ob flauam bilem, quę
per membra sentientia, ueloci motu defer-
tur: post quem frequenter alui soluuntur,
& sudores, & uomitus biliosi superueniūt.

ῥινάριοι, lunula, apud Paulum instrumen-
tum, cuius usus est in dentium adnatis, lib.
6. capite. 28.

Rhinchitos, cornu per qd̄ sternutamen-
ta immittuntur in caput, uel alia cathartica

R H

caput circumdantia. Vtitur eo saepe uocabulo Scribonius Largus.

Rhinoceros, unius in nare cornu. Plinius libro octauo, capite, 20.

ρίζα βαθεία, radix profunde fixa.

ρίζα πολυχίδης, radix fissilis.

ρίξις, oculorum uitium.

ῥιπασμός, proiectus, hominis uidelicet, qui ob cibum & potum immodice sumptum, in lecto subinde se proijcit, ructatq; & concoquere sumpta non ualet. Galenus lib. 2. de ratione uictus in morbis acutis. ἄσκηρ

ῥινέγχυτον, ferramentum quo naribus medicamentum inijcitur, apud Aurel. lib. 2.

ῥίπλαμ, lingua Aegyptiorum Blitum.

R H O

Rhoades febris. Lege, Febris.

ῥῶασ, teneriores, mollioresq; costæ.

ῥοβίθρον. Lege, ὑποκυσίς.

Rhoduncia patella. Lege, Rhodonia.

Rhodia radix, Costo similis, in Macedonia nascitur. Dioscorides lib. 4. cap. 48.

ῥόδινον ἔλαιον, oleum rosarum, uel roseū.

ῥοδόχρωμ, roseo colote.

Rhododaphne, Nerion, apud Dioscoridē libro quarto, capite, 84.

Rhododendron, Nerion, apud Dioscoridē libro quarto, capite, 5.

ῥόδομελ, mel rosatum.

Rhodonía, id est, rosarium, rosarum plantula. Est & condimenti genus quoddā Rhodonía, quam & Rhodunciam patellam uocant, ex meris cerebellis auium, & porcorum in multa rosa coctis, infuso garo, oleo uino, pipere, ouorū luteis, Differt ab patella rhodūcia, quæ rhodiaca olla dicitur: quoniam figulinæ genus est hæc, permixtis (ut inquit Aristot.) myrrha, iunci flore, croco balsamo, cinnamomo, amomo. Coquitur que ad ascendam ebrietatem, si ex calfactis hijs uinum infundatur. Origo huius a Copto prima (ut inquit Athenæus) unde Coptica fidelia.

Rhodofachara, a rosis & sacharo compositio apud Nicolaum, uulgo Zuccarum rosarum officinæ uocant.

ῥωγάδες. Vide, ῥωγμή.

ῥωγμή, quasi latine dicas, per longum rima caluarix profundior, aut in superficie fissio. Sic ῥωγάδες, rimas terre appellauerūt,

Rhogoides, siue Rhagoides, secunda ocu-

R H

li tunica, ab acini similitudine quadā, densa ea est, sanguineaq;.

Rhogus, est ruptio quæ labra collo indurata habet.

Rhombus. Lege, Piscium fere.

Rhoon, inter alia, succus ipse moris expressus iamiam siccatis.

Rhoon etiam scribunt Plinius & Dioscorides radicem absq; odore, Costo nigro similem: cum tamen id quod in usu est, nullam cum Costo nostro similitudinem habeat, magnumq; odorem, nec insuauem iacet.

Rhopalos, Nymphæa, apud Dioscoridē lib. 3. cap. 149. a radice clauæ similis. Theophrastus libro nono.

Rhopheta, oua serbilia.

Rhos, noce quidem græca, sed quæ ut inquit Plinius, latinum nomen non habet: significatq; eum fructum, quem Arabes, & uulgus nunc medicorū Sumach dicunt: olim obsonijs & pellibus, nunc medicinæ seruientem. De quo & Theophrastus lib. 3. de historijs plantarum, & Dioscor. lib. 1. & Galenus. 8. et Plinius lib. 24. abunde scripserunt: aitq; Plinius, q; ulceribus medeatur manantibus cum melle. Galenus quoque ἀντιβαλλομένα scribens, Syriacum uocat.

Rhos, Phœnix herba, apud Dioscoridē libro quarto, cap. 46.

Rhos. Lege, ἔλαιομέλι.

R H V

Rhus. Lege, ἔλαιομέλι.

Rhus quæ obsonijs aspergitur, ab aliquibus Erythros appellata, semen est coriarij fructicis: itaq; uocari solet, quoniam coriorum infectores ea utuntur ad spissandas pelles.

Arbuscula in petris nascens, binum cubitorum altitudine, folijs oblongis, rubricantibus, in ambitu serratis, acino uuarū gracilium, denso, magnitudine Terebinthi, quadamtenus lato. Cuius corticosa tunica per quā utilis est. Officinæ alieno nomine Sumach uocant. Lege Dioscor. lib. 1. Theophrastum lib. 3. Columellam lib. 10. cap. 13. Plinium lib. 33. cap. 6. lib. 24. cap. 11.

Rhus Erythros, id est, Rhus obsoniorum, ἔρυθρὸς Græce.

R H Y

ῥυαδικὸν πάθος, Rhyadica passio. i. hiatus, unde assidue humor extillat. Oboritur ab nymphæa immodice prominēs, quæ non recte excinditur. Vide Paulū lib. 6. cap. 70.

R H

ῥυάσ, continuus lachrymæ fluor.
 Rhymmata, Lege, Itria,
ῥωδεις πυρετοι, febres quæ cum multo al-
 ui fluxu, & aliquando cum uomitu fiunt: ac-
 cedunt perfrictiones, subitaq; uirium deie-
 ctio, cum siti, uigilia, & pulsuum in uenis hur-
 militate. Eas uocauit Celsus lib. 1. Fluen-
 tes: nec tantum febres, uerum morbos alios
 in quibus, nimirum ex omni humore excer-
 nerent egri, idem etiam diuersis partibus.

ῥυπαρῖαι οφθαλμων, sordes oculorum.
ῥυπωδεις, a similitudine sordium sic dictum
 emplastrum, ualet ad extrahendum. Cel-
 sus libro quinto, cap. 19.

Rhypos, id est, sordes. Iulius Pollux pro si-
 gillari quoque terra usurpat. Nisi quis inibi
ῥυπον, non *ῥυπον* legendum censeat. Sed
 & in Epistolis Cicero ad Atticum, Rhypos
 scriptum est pro ceris, siue formis unde si-
 gilla fingebantur, fortasse ut a situ uetusta-
 tis uindicarentur.

ῥυπος βαλανειων, sordes, uel strigmēta bal-
 nearum. Dioscorides lib. 1.

ῥυπος γυμνασιων, sordes gymnasiorum.
ῥυπος εκ τῶσ παλαίστραν, sordes quæ colliguntur
 ex palestra.

Rhyte, Ruta montana, apud Dioscoridem
 libro tertio, cap. 50.

ῥυθιδεις, lineæ in palpebris.
 Rhyides, oculi exulcerati & fluentes.
ῥυπαρος ἄρτος, sordidus panis.

R I C

Richion, idem quod Bechion, uel Tussila-
 go, apud Dioscor. lib. 3. cap. 124.

Ricini, uermiculi sunt infestantes capita ca-
 num, & maxime aures. Est & uermiculus
 alius in lingua canum, qui uocatur a Græ-
 cis lytta: quo exempto infantes catuli nec
 rabidi fiunt, nec fastidium sentiunt. Colu-
 mella libro septimo, cap. 13.

Ricinum Plinius sua ætate uocari dixit, a fœ-
 dissima insecti similitudine quod græci *κρό-
 τωνα* appellant. Suntque latinis Ricini &
 græcis *κρότωνα* insecta, quæ animalibus
 alijs, canibusque præsertim inherant. Vide
 de hoc commentarios in Dioscoridem li-
 bro primo, capite, Ricinum oleum.

Ricinos etiam sunt qui futura quoque poma-
 mororum uocant. Quanquam alij Cytinos
 legunt, non Ricinos.

Ricini. Lege, *κρότωνα*.
 Ricini semen, Lege, Cici.

R H

R I D

Ridere. Zoroastes eadem hora qua natus
 est, risit. autor Solinus capite undecimo de
 mirabilibus mundi.

R I G

Rigor, *τὸ ῥίγος*, horror ille & concussio me-
 brorum in febre.

R I M

Rima, ipsius pudendi muliebris *σχίσμα*, al-
 as apertura.

R O B

Rob, est succus, uel liquor inspissatus.
 Roborosa, passio uocatur quæ animal rigi-
 dum facit ad similitudinem ligni. De qua
 Vegetius Veteranariæ lib. 3. cap. 24.

Robur corporis, ad animi fortitudinem sæ-
 piuscule refertur.

Robustus, a robore.

Robus color, Lege, Rufus color.

R O R

Roratio, arborum & uitium morbus quo-
 modo fiat, require ex Theophrasto lib. 4.
 capite decimosexto.

Roris marini genera, lege apud Dioscori-
 dem libro tertio, cap. 8.

R O S

Rosa, græce *ῥόδου*, & poetæ *βρόδου* appel-
 lant. Sed plantam eius Rhodoniam quem
 admodum nos Rosarium appellant.

Rosalia, coronæ e rosa, quæ pacilibus & su-
 tilibus successerunt: nec erat his gratia, ni-
 si folio solo nexis.

Rosa prænesina, rosæ quoddam genus ad-
 modum delicatum, quod quæ celerrime ef-
 fit, & desinit.

Rosa Campanica, rosa præcocior.

Rosa Milesia, quæ odore est ardentiore.

Rosa scrotina uocatur, quæ duodecim folia
 non excedit.

Rosa Trachinia, rosa, sed minus rubens.

Rosa Alabandica, rosa uilior, & albicanti-
 bus folijs.

Rosa Sermonia, quæ passim prouenit, sed
 ipsa quoque uilior.

Rosa Græcula, conuolutis foliorum pani-
 culis, nec dehiscens, nisi manu coacta, sem-
 perque nascenti similis, latissimo folio.

Rosa Milicæa, rosa quæ funditur caule mi-
 licæo, folia oleacina habens, uerum illa se-
 ne odore.

Rosa Autumnalis, id est, coroneola, in ru-
 bo nascitur, iucundi odoris, sed angustioris.

R O

- Rosa Punica, apud Columellā rosa rubēs, aut ex Africa translata.
- Rosa Damascena, singulare quoddam & peregrinum Italię rosę genus; fortasse ea, quam Plinius autumnalem appellat.
- Rosa Anconitana, ut inquit Vergilius, purpureo in cādido colore, foliosa, odoratissima, exiguo intus flore, succoq; multo intus abundans & aqua.
- Rosa Milefia, cuius est ardētissimus colos, non excedens tamen duodecim folia.
- Rosa Centifolia, quæ nascitur in Cāpania Italię. Græcis uero circa Philippos, sed ibi non suę terrę prouentu, ut inquit Plinius libro. 21. capite. 4.
- Rosa Lychnis, non nisi in humidis nascēs, nec unq; excedens quinq; folia, uiolæ magnitudine, odore nullo, alias græca, uel græcula; quanq; est & alia græcula, de qua lege, Rosa Græcula.
- Rosarum flores dicuntur, quib. lutei apices, et quasi capillamēta in medio eius surgūt.
- Rosę calix, nondum totis folijs patens, & explicitus rosę globus.
- Rosę cortex dicitur, qui calicem ambit, de hiscenteq; rosa in quinque quasi lasciuias scinditur.
- Rosę caput, quod ab inferiore parte lanosum intus totā sustinet rosam.
- Ros Syriacus. Lege, ἐλαιομέλι.
- Rosea, campus appellatur in agro Rheatino, quod in eo arua rore humida semper ferantur.
- Roseus color, omniū iucūdissimus est, atq; humano corpori, si id formosum est, quam similitudine. Itaq; os, ceruicem, capillos, digitos roseos Poetæ dicunt, id est, candidos, rubore sanguinis penitus diffuso cum uenustate; isq; color proprie est, quem cōmunis sermo Incarnatum uocat. Refert enim maxime omniū pueri nitorem, ac uirginis rosā. Non Milefiam intelligo: quæ nimis purpurea ardere quodammodo uidetur: nec rursus albam, sed quæ utrinq; decorē accepit; & quia corpus hominis imitatur, quod lingua uernacula carnem appellat: eadem id genus Rosarum Incarnatū nominauit. Cicero colorē hūc suauem dixit. Aut. Tyles. de Coloribus.
- Rosa græca, Lychnis, apud Dioscor. lib. 3. capite. 113. est tamen & alia Græca uocata.
- Rosa Iunonis, Liliū uulgare apud Dio-

R O

- scoridem libro. 3. cap. 115. & inibi in Vergilij commentario.
- Rosa syluatica ἰπ πικρῶς, alias Rosa canina.
- Rosa Iconis, Liliū uulgare apud Dioscoridem libro. 3. capite. 115.
- Rosata nouella, id est, noua ex rosīs cōpositio, ut alia discernatur a ueteri.
- Ros, est humidum, quid e serenitate cōcretum, minutimq; delabēs. Arist. li. de cœlo.
- Ros maris apud Galenum. 4. de sanitat. fortasse Ros marinus herba, si non fallor.
- Rosmarini multa genera cōstituere, etiam si Dioscorides non doceat, tamen res ipsa coget. Nam præter coronariam, reliquæ species hodie ignotæ habentur.
- Rostellis, pusillis rostris, uocabulum est diminutiuum. Columella libro octauo, capite quinto.

R O T

- Rotæ, pisces sic dictę a similitudine, quaternis distinctæ radijs, modiolos earum oculis duobus utrinq; claudentibus. Plinius libro nono, capite. 4.
- Rotundus odoratus iuncus, id est, Squinatum. sic enim barbarissime officinæ.

R V B

- Ruballiones. Lege, Chamæ.
- Rubea trochiscata, ab colore & trochiscus dicta. Compositionē lege apud Nicolaū.
- Rubea, Ferbuurtz. Klobuurtz.
- Rubet nulla particula corporis, præterquā caro & sanguis. Galenus lib. de tumorib.
- Rubeta. Lege, φέρυθ.
- Rubetæ, ranæ, quarum & in terra, & in humore est uita. Plinius lib. 8. cap. 31.
- Rubeta. Lege, Rana rubeta.
- Rubia, Dioscoridę Erythrodanum lib. 3. capite. 161. Plinio. 24. capite. 11.
- Rubus, non est Rhamnus, ut quidam suspicati. De quo lege epistolam Manardi tertiam, libro nono.
- Rubus Idaus in Ida proueniens, Rubus apud Dioscoridem libro. 4. capite. 41.
- Rubus quid sit, uide Dioscor. lib. 4. cap. 4.
- Rubigo frumētorum erugo, plenilunijs fere accidens, hordeo q; tritico infestior.
- Rubiginis ferri iuuamēta, uide apud Dioscoridem lib. 5. capite. 83.
- Rubrica fabrilis, ea quę fabris in usu est, inferior sinopide, de qua uide Dioscoridem libro quinto, capite. 103.

Rubrica quid sit, uide apud Dioscor. lib. 5. cap. 102. Plinius ex deſiore terra Rubricā maxime amat. Est autē Rubrica terræ genus, rubicundo colore: unde & nomen. hinc Rubricosus deducitur. Cato, Lentē inquit, in rudeto & rubricoso, qui herboſus nō est, serito. Plin. præcipit ex autoritate Catonis, in rubricoso solo serēdum esse odoratū far. Alias Rubrica significat pigmentum, siue colorem natiuum. Lemniæ Rubricę palmam dabant; ita nominatę ab insula Lemno, in qua nascebatur. Hęc est antiquis multū celebrata, nec nisi signata uenundabatur. Vnde & Sphragidem appellauerunt. Græco enim uocabulo σφραγίς dicitur sigillum, signatorium. Hinc gemmas quoq; quasdam sphragidas uocant celeberrimi scriptores, quoniam optime signant. Galenus lib. 10. Simplic. refert, se in insulam Lemnū nauigasse, causa contemplandi hanc Rubricam Lemniā: docetq; planius et apertius, quod Plinius subobscurè dixit, & breuiter, cur Sphragida appellauerunt. Sacerdos Dianę, inquit, Rubricam Lemniā reuerenter accipiens, curiosęq; perpurgans, signat sigillo Dianę impresso; ita signata uenundabatur. Columella lib. 2. cap. 10.

Rubeus, pro spineus aliquando dicitur, & hoc a rubo,

Rubeus color. Lege, Rufus color.

Rubidus color, Ibidem.

Rubrica fabrilium naturalis, Bergroetel.

Rubrica fabrilis factitia, Roetel.

Rubrum colorem, maxime indicat animalium sanguis, et quo lana inficitur. Coccus granum id a nostris uocatur, unde uestis est Coccina, nulli ignota. Ostendat tamen hunc colorem præ cæteris rebus liquor purpure; cuius adeo gratus est color, ut si quid paululum habeat ruboris, modo uisu sit illud non iniocundum, Purpureum sæpe dicitur, ut sunt uiolæ, & uaria florum genera. Quin & Candidus, is enim oculos quoq; remoratur. A Poetis uocatur nōnunq; purpureus. Nam & olores purpureos dixit Horatius, & niuem ipsam purpuream Albinouanus. Inuenitur & Blatteus positus pro purpureo. Nec prætereundus est hic color Vitis, frondibus arefactis simillimus: & idcirco Xerampolinus græce dicitur. Usurpant hanc uocem Latini, Cer-

tum enim Vitis genus adulto iam autumno, pampinis rubet uelut cruētis: unde nomen colori inditum est. Rosa ab omnibus nunc dicitur sicca. Atrabapticas uestes eo colore infectas, quoniam in eis purpura nigresceret, aliqui appellauerunt. De eare tabellam excogitatam, his uersiculis fui complexus. Cederet immeritæ uitis dum curra cecidit Ipse sua, & dira cæde Lycurgus obit: Vnde prius uiridis, rubet hostis sparsa cruore, Illæso uitis stipite, & ulta nefas. Autor Thyles, de Coloribus. Lege item, Rufus color.

R V C

Ructuare. Pomponius poeta nunq; ructuauit. Autor Solinus cap. 4.

R V D

Rudetum, terra que prius rudis fuerat et inculta, iam autem arata.

Rudicula. Id uerbum ueterib; agricolis pastillum significabat olim ad interedū mortarijs. Diminutiuum uidetur factum a rude, id est, uirga gladiatoria. Plinius ait, lanas in quodā usu medico adhiberi non curatas rudiculis, hoc est, ut ego interpretor, non excussas, exagitatasq; uirgis a batuentibus: sicuti bouelanas quotidie curari cōspicimus, uel potius audimus. fit em̄ crepitus sonorus ex percussu rudicularū. Scio aut locum illum Plinianū aliter & legi, & explicari ab eruditjs, sed mihi commodior uidetur lectio, & intellectus purior quem retuli. Frequēs est mentio Rudicularum apud eundem Plinium in hoc significato. Columella libro secundo, cap. 45.

R V F

Rufum colorem, non esse eundem atq; rubrum, ex hoc intelligi potest: q; recte dicitur sanguis ruber, rufus non recte, Barbam rufus, & capillum Aenobarbi, rubrum ueteres nō dixerunt, sed modo rufum, rutilū modo, qui idem est. Quin et canes imolabant Romani sacerdotes, nunq; rubras uocatas, sed quas nunc rufas, nunc rutilas appellabant, ad placandū Caniculæ sidus, frugibus inimicum. Ex quo manifestū est, Rufum, Rutilumq; eundem esse: id quod ex antiquis etiam aliqui docent. E canis igitur colore satis noto, atque e multorum barba & capillo, cuiusmodi sit color Rufus satis apparet. Hunc Rustici in armentis Robum, Giluumq; olim dixerunt, atq;

etiam Heluam: ut uini genus est quoddam inter Rufum, Albumque nulli non cognitum: quod quoniam Cerasi colorem refert Duracini, Cerasolum aliqui dicunt Italiae populi. Sed et Burrham idem appellabant uitulam, quae rostro esset rufo. At homo Burrhus est, qui pransus cibo & potione rubet: hunc aliqui etiam Rubidum uocant. Inuenitur & Rubeus, & si aliqui non indotium uocem non esse latinam monuerint. Cum tamen apud autores non malos ex uuis nigris fieri uinum forte legatur, & Rubeis autem suauem: nec non bos Rubeus probetur. Verbum est omnino rusticum, nec prorsus idem color est, qui & Ruber, sed ad eum proxime accedit. Quid quod Russus etiam legitur: negat quidam e uetustis Grammaticis dici posse, Russum iubet, ex quo pannus est Russatus. Vtrunque certe latinum est, sed Aratoris magis quam Oratoris: habent enim & sua uerba, qui ruri uiuunt, urbanis nonnullis inaudita. Russum equum dicunt illi, qui non plane Russus est, sed aliquanto minus ruboris habens, idem fere uidetur. Hic autem, quoniam quasi cruentato similis est, hodie Saginatus, quasi sanguinatus uulgo nominatur: quamuis huius nominis nonnunquam equi albescant. Aut. Thyles. de Coloribus.

Ruffus Ephesius dicitur sub Adriano principe uixisse, scripsisse quoque plerumque, quae et ipsa citantur interdum ab alijs. Verum nihil eius posteritati relictum est, quod iactari possit. De Melancholia tamen optime dicitur scripsisse, ut inquit Galenus libro de atra Bile.

R V L

Rulla, ferrum illud est, ut ait Plinius, quo uermes identidem purgantur in arado. Quamquam uetus lectio non Rullam, sed Rallam habet, a radendo.

R V M

Rumæ, graece ἀνθεράωνες.

Rumex, id quod graece λάπαθον. Lege, Lapatum. Licet Rumex potius sit quarta Lapatum species Oxalis, & Oxylapatum Graeci uocant. Sic enim Herm. contendit, Satiuo similis, folijs aquosis, colore Betæ candido, radice minima.

Ruminare, agreste uulgus dicit minores equos. Plautus a uerbo deruminare usurpat, pro differere.

Rumoniae, Plinio sunt maiores ferrae, quibus fabri materiarij secant arborum moles, subiectis canterijs.

Rumpotinum, siue Rumposinetum, genus arbuti gallici. Columel. Arboribus rumpotinis frumentum non inseritur. M. Varro tradit traduces a quibusdam rumpos appellari, ubi ex arboribus in arbores tractis uitibus uinea sit. Columella libr. 5. capite quinto.

R V P

Rupicaprae, quae in rupibus degunt.

Rupta, & Conuulsa, Graeci ῥήγματα καὶ σπασματα, ut aliqua tamen differentia sit. Nam Rupta dicimus simpliciter. Vbi uero non ruptum tantum & fractum, sed intus nerui lacerati, tunc Conuulsum dicimus. Coniunguntur autem fere apud Dioscoridem, & Plinium: quod raro utrunque non contingat.

Ruptio, uel Conuulsio, citra uulnerationem fiunt. Galen. 3. Method. Prior carnosae partis diuisio est, posterior neruosa.

R V S

Ruscum, Castor Oxymyrsinem myrti folijs acutis, ex qua fiunt rursi scopae, uocauit. de quo Poeta: horridior rusco. Columella libro. 7. cap. 10.

Ruscus syluestris, Myrtus, apud Dioscor. lib. 4. cap. 147.

Russus color. Lege, Rufum.

Russus color. Ibidem.

Rusticae gallinae, sunt agrestes, rostro longiore, quae per diminutionem Rusticulae uocantur.

R V T

Ruta montana, & hortensis, describitur ab Dioscoride libro. 3. capite. 50. Plinio libro 20. capite. 13.

Ruta syluestris qualis sit, uide apud Dioscoridem lib. 3. cap. 51.

Rutabulum, instrumenti nomen est, quo etiam utebantur ad coquendos panes. Inuenitur positum & pro uirili membro. Porcius Cato praecipit, ut uillicus habeat Rutabulum unum. Columella libro duodecimo, capite. 21. Dicitur & Rutrum, quo quid eruitur.

Rutinalis herba, Sphondylium, apud Dioscoridem lib. 3. cap. 88.

Rutrum. Lege, Rutabulum.